

an corporis suaderet, aperuit cum protinus adjunxit: providentes non coacte, sed spontane secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. Quibus profecto verbis Pastoribus pie praecavetur, ne dum subjectorum inopiam satiant, se mucrone ambitionis occidant: ne cum per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi, ipsi remaneant a justitiae pane jejuni. Hanc Pastorum sollicitudinem Paulus excitat, dicens: qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Inter haec itaque metuendum semper est, et vigilanter intueendum, ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Plerumque enim, ut praediximus, corda Rectorum dum temporali sollicitudini incaute deserviant, ab intimo amore frigescunt: et foras fusa oblivisci non metuunt, quia animarum regimina susceperunt. Sollicitudo ergo quae subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur: sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondeant capita sua. Sacerdotes namque jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum praebeant, fidelibus praesunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in mente: qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitae praesentis designant; quae ex sensu negligenti, quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui praesunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire: ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Ubi et bene dicitur: tondentes tondeant capita sua; ut videlicet curae temporalis sollicitudinis et quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatus excrescant. Dum igitur et per administratam exteriorem providentiam corporum